





20

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO - PRACTICA

DE

# DIARRHOEIS ABSTERGENTIBVS TAM SIMPLICIBVS QVAM CRVENTIS.

QVAM  
ANNVENTE SVMMO NVMINE,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO ORDINE MEDICO  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**DN. IOANNE IVNCKERO,**  
MEDICINAe DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, PATRONO AC PRAECEPTORE  
SVO PIE DEVENERANDO  
H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO SPECTATISSIMO  
PRO GRADV DOCTORIS,  
SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
RITE OBTINENDIS  
AD DIEM APRILIS MDCCXLVIII.  
ERVDITORVM EXAMINI SVEMITTET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES AVGVSTVS GRISCHOVIUS**  
HALENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

**ABSTHEGENTIBVS  
CRAEGVITIS  
TVM SIMPLICIS QVAM  
DIARRHOEAS**

V I R O

SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMO

D O M I N O

D. GOTTHILF AVGVSTO  
FRANCKIO,

ORDINIS THEOLOGICI IN ACADEMIA FRI-  
DERICIANA PROFESSORI SENIORI, ECCLESiarVM AC  
SCHOLARVM DIOCESEOS SALANAe PRIMAE IN-  
SPECTORI, PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTRO-  
PHEI DIRECTORI ET AD AEDEM B. M. VIR-  
GINIS ECCLESIASTAE,

PATRONO ac FAVTORI SVO  
AETATEM VENERANDO.

NEC NON  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
DOCTISSIMO  
DOMINO  
D. IOHANNE IVNCKERO,  
MEDICINAE PROFESSORI PVBLICO ORDINA-  
RIO, PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI  
HALENSIS PRACTICO CELEBERRIMO,  
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATIS-  
SIMO, PRAECEPTORI AC PROMOTORI SVO OBSER-  
VANTISSIME COLENDO

S. P. D.

JOANNES AVGUSTVS GRISCHOVIUS.

VIRI  
SVMME REVERENDE,  
ILLVSTRIS,  
AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI.



eliberanti mihi, cui hanc meam  
Dissertationem inauguralem  
dedicarem, mox succurrerunt  
Veneranda Vestra Nomina;  
neque reperire potui, quibus hoc pietatis  
officium maiori, quam Vobis, iure præ-  
stare deberem. Vos enim a primis, quod  
aiunt,

aiunt, vnguiculis me variis ornatis beneficiis. Primo quidem in congenita labe in hanc lucem editum Deo, creatori & redemptori meo, ad sacrum fontem, a parentibus meis rogati, religiosis precibus obtulisti ibidemque pro me spopondisti iunctim. Deinde TV, SVMME REVERENDE FRANCKI, partim in Orphanotrophei partim in Pædagogii Regii scholis, quibus ex Diuina gratia Regioque nutu Director præs, institutionem in doctrina christiana studiisque humanioribus per idoneos magistros mihi liberalissime indulsti aliaque amoris ac fauoris TVI documenta plura subinde dedisti. TV vero, ILLVSTRIS IVNCKERE, ex eo præsertim tempore, quum relictis scholæ inferioris subselliis ad hanc

hanc celeberrimam Fridericianam me  
contuli cum proposito medicinæ studium  
tractandi, TVVM in me vere paternum  
amorem declarasti. Concessisti mihi, vt  
omnibus ac singulis prælectionibus TVIS  
interessem auditor gratuitus, & præterea,  
quando TEcum colloquendi occasio-  
nem habui, salutaria monita tum ad vi-  
tam bene agendam, tum ad artem medi-  
cam recte apprehendendam, suppeditasti:  
vt post Deum TVAE potissimum dexte-  
ritati & fidei acceptum referam, quod  
studiorum meorum rationem publica dis-  
putatione, & TE quidem hunc actum  
moderante, nunc possim reddere. Acci-  
pite igitur, quaeso VOS, VIRI MA-  
GNIFICI, hanc scriptiunculam, quam  
splendidissimis Vestris Nominibus nuncu-  
pando,

pando, gratum animum VOBIS vtcunque testari volui, & aequi bonique illam consulite, quum, quae mihi tribuistis, ea re apse retribuere nequeam. Deum autem precor, vt largissime remunerari, VOSque saluos & incolumes in Ecclesiae & Reipublicae commodum adhuc diu conseruare velit. Quod reliquum est, vt in posterum etiam fauore ac beneuolentia me complecti ne dedignemini, maiorem in modum oro atque contendeo. Valete. Dabam Halae d. Aprilis. A.

O. R. cl Is ccxxxxviii.

PROOE-



## PROOEMIVM.



Cum occasione Casus cuiusdam  
clinici apud animum con-  
stituisse, pro Themate In-  
augurali de diarrhœis qui-  
busdam agere, in mentem  
venit biga fluxuum alui, ob certas circumstan-  
tias satis memorabilium. Quorum unus est  
*cholera Indis & Arabibus endemia*; alter: *le mal de Paris* dictus. Quod ad choleram Indis &  
Arabibus endemiam attinet, variae quidem ac-  
cusari solent causæ, vid. b. m. HOFFMANNI  
*Diss. de morbis endemiosis*: attamen in earum cen-  
sum præcipue referri meretur, plurimorum cal-

A

culo,

culo, climatis ratio. Quam multum clima, locorumque situs, solis positus, & variæ aliæ adparentiæ cœlestes, in progignendis morbis, iisque inquiline, peculiaribus valeant, ne quidem primoribus labris Medicinam degustantes amplius latet. Indiae & Arabiæ regionibus, ubi sœvit illa, secundum Geographiam physico-mathematico-medicam, & eleuationem poli consideratis, cœli torrentissimus incumbit axis ; aere atmosphærico æstuante incalefcunt incolæ, solibus vruntur, torrentur ; humores excoquuntur ; partibus fugatis aquofis, volatilebus salinis, salina fixiora, acria exusta augentur ; præfertim inde bilis orgasmus, incendia. Deinde inter causas recentent fructuum, *Ananas* dictorum, esum, incolis valde familiarem, vid. ROCHEFORT in *Hist. Nat. Insul. Antillarum*. Hi fructus custodiunt principium salino-acidum plus minus volatile, mucagine dulci inuolutum. Idem ad fidem gustus saporis sine pari gratissimi, linguæ ineffabilis esse creduntur. Recensentur præterea ab Auctoribus inter fructus, alui fluxibus, imo dysenteriis periculosis ciendis potentissimos ; vid. infr. Diff. §. XXI. Alter alui fluxus est *le mal de Paris*. Morbus

bus Lutetiis Parisiorum endemius. Incolas  
æque ac aduenas adoritur; tempora non cu-  
rat, sed quoctunque anni tempore vexat; nec  
contagio serpit, nec malignus, & semper sine  
febre est; sedes sunt mucoſæ, interdum cru-  
entæ; lecto quidem ægros haud adfigit, sed  
in publicum prodire, & suis obeundis muniis  
vacare possunt, interim tamen satis diu sine  
omni fere virium iactura, eos ſæpe detinet.  
Causam ut plurimum reiiciunt in aquæ potum,  
quam ex Sequana capulant, qua pota frequen-  
tissime incolæ utuntur. Plura his non addo,  
ne prooemiorum limites transcendam. Cum  
vero mihi animus sit, de aliis quibusdam alii  
fluxuum speciebus agere, de diarrhœis nimi-  
rum abſtergentibus, tam simplicibus, quam cru-  
entis, hinc conatibus meis diuina annuat cle-  
mentia, ut cedant omnia feliciter!

## §. I.

**C**um de diarrhœis abſtergentibus tam simpli-  
cibus quam cruentis breuem tractationem  
inſtituere animus mihi sit, necesse ante omnia  
erit, ut tam respectu vocis, quam ipsius rei  
definitionem diarrhoeæ præmittam.

A 2

§. II.

4 *Disertatio inauguralis Medico-Practica*

§. II.

Quod ad vocem attinet, habet illa græcam originem, & deriuatur ex δια per, & ἡ ω fluo. Quamvis autem vi huius vocis quælibet excretiones, quæ perfluentes sunt, diarrhoeæ nomine venire possent: visitatum tamen, & per vulgus notum est, vocem istam sensum habere strictiorem, & solum alii profluuium denotare. Germanis hic morbus audit der Durchfall, der Bauchfluß, der Durchlauff.

§. III.

His præmissis facilis fit transitus ad definitionem realem: videlicet diarrhoea est præternaturalis & copiosior per alium excretio, qua varii generis materiae e corpore nostro efficiuntur.

§. IV.

Ab hac excretorum varietate singulæ diarrhoeæ species peculiarem sortiuntur denominationem. Sic v. g. datur diarrhoea cruenta, quæ eiusmodi alii deiectio est, vbi præter materiam vel biliosam, vel se-roso-pituitoso-acido-salino-caustico-biliosam, quæ in diarrhoea simplici conspicua est, etiam portio sanguinis stricte sic dicti excernitur.

§. V.

Quoniam diarhœa signum sui præbet maiori defecctionum frequentia, distinguat se haec ratione non solum ab excretione aliina, sed & insuper ratione materiae, & modi excretionis. In hac enim sedes sunt stercorosæ, ipsaque excrementsa consistentiam & colorem statui naturali conuenientem habent; in illa diffe-

*de Diarrhoeis Alstergentibus tam simplicibus &c.* 5

differunt ratione materiæ, causarum, symptomatum. Accedit, quod diarrhoea sub deiectionibus dolores tenesmoides, tenesmos, alias molestias comites habeat. Tantum tamen abest, vt, si modum non excedit, & rite tractatur, periculum inuoluat, vt potius in corporis salutem valeat.

§. VI.

Cum porro non vna, sed plures per loca sedalia dentur euacuationum species, ratione materiæ peccantis, symptomatum, prognosticos longe differentes, hinc etiam *variae diarrhoeæ species* exinde pronatae fuerunt. Sic datur *diarrhoea biliosa, melancholica, pituitosa, serosa, sanguinea, colliquativa, puerorum dentientium, verminantium*, vt & *chylosa*. Hanc ultimam quidem ad cœliacam affectionem referre suerunt. Cum vero plerumque, & in primis hoc in casu sedes non solitarie chylosæ sint, sed excrementa tantum chylosis lineamentis intertexta alio ferantur, tamen non immerito diarrhoeæ chylosæ titulus ipsi impositus fuit; conf. *Illustr. PRAES. Consp. Therap. special. Tab. CXIII. de Diarrhoea*, quo undecim recenset species; quare illarum recensione, & ulteriori pertractione hic supersedendo, illam tantum *differentiam* adhuc adiicere licebit, quæ intercedit inter *dyserteriam, fluxum haemorrhoidalem, nostrumque affectum, diarrhoeam scilicet cruentam*. Sic *diarrhoea nostra* differt a *dyserteria ratione materiæ*. In priori excernuntur humores pituitosi, biliosi, & excrementsa cruento minus licet tincta; in posteriori reiciuntur humores cruenti, faniosi, putridi, fœtidissimi.

A 3

Porro

5      *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

Porro *ratione proponendos ac euentus.* Dysenteria est morbus epidemius, & contagio serpens; grauissimus etiam stipatur symptomatibus, summuinque portendit periculum; diarrhoea vero cruenta haud periculosa, & in omnibus mitior, nisi morbis acutis superveniat, aut in colliquatiuam tandem desinat. Dysenteria præterea plerumque Augusto & Septembri mensibus populares circuitus seruat, diarrhoea autem cruenta quolibet anni tempore inuadit. *A fluxu hæmorrhoidalii differt ratione temporis & loci.* Hæmorrhoides enim ut plurimum stata seruant tempora, & e vasibus hæmorrhoidalibus, sive externis, sive internis prorumpunt, quod autem in saepius nominata diarrhoea cruenta aliter contingere obseruatur. Interim tamen sub hæmorrhoidum profluuiio, & ex illo diarrheam qualecumque oriri posse compertum est.

§. VII.

Non minus etiam notanda occurrit *distinctio diarrhoeæ in idiopathicam, & symptomaticam.* Illa est, quæ solitaria, sive sine complicatione aliis morbi hoc vel illud subiectum adgreditur, & ubi materia peccans in ventriculo, & infestinorum tractu generatur; haec vero, quæ ut symptoma aliis morbis consecutue superuenit, a materia alterius partis via generata, & huc translata, pendet. Atque hoc sensu alia est *hepatica*, alia *mesenterica*. Et sic in harum censum etiam venit *diarrhoea, cruenta dicta.*

§. VIII.

Quod ad *prognosin* diarrhoeæ symptomaticæ attinget,

tinet, illa pro subiectorum & causarum ratione mox salutaris, mox satis ominosa, & periculosa obseruata fuit. *Salutaris* e. g. est diarrhoea in variolis, quæ maturationis tempore contingit; porro diarrhoea in febribus malignis moderate succedens, aliaque. *Mali omnis* e contrario est diarrhoea grauidarum; iusto longius enim excurrentis, abortuum minatur periculum. Non minus illud est in atrophia; quo magis enim in hac vrget diarrhoea, eo facilius & citius ægri succumbunt. Eiusdem indolis est diarrhoea puerarum.

§. IX.

Sicuti vero ne unus quidem morbus est, qui non *symptomatum* choragio stipetur: ita etiam diarrhoeæ qualescumque suos individuos habent comites, certa nimirum *symptoma*, eaque mox *graviora*, mox *leuiora*. Simplex quidem diarrhoea, male moratam si exceperis, vix alieni, præter desidendi frequentiam, adfert molestiam. Si vero noxa materia lis ex accidenti peiorum induerit indolem, tunc peiora, eaque varia symptomata habet pedissæqua. Inter alia obseruatur vniuersi corporis constrictio ac refrigeratio. Constat, quod omnem excretionem in statu s. & p. naturam, v. g. vrinæ, sudoris, antecedat motus versus organa se- & excretoria, vel aliam partem specialiter directus, insecurita humorum congestione. Idem contingit in diarrhoeis. Cum enim materia peccans in primis viis, & reliquo intestinorum canali delitescat, hinc motus a locis peripheralis ad interiora, ad eam exturbandam, dirigun-

## 8      *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

guntur, extremis algescientibus. Multo vero graviora symptomata secum ducit diarrhoea cruenta. Etenim aegroti non solum ob desidendi frequentiam, sed & ob tenesnum cum illa coniunctum summum virium lapsum sentiunt. Ex quo insimul patet, hunc affectionem non leuioris momenti, sed omni attentione, ac cautione dignum esse.

### §. X.

Vt autem in tractandis nostris diarrhoeis necessariorum momentorum eo melius ratio habeatur, necesse erit, ut de *signis* vtriusque diarrhoeæ tam *diagnosticis*, quam *prognosticis*, de *subiectis*, *causis*, ac tandem de *remediis* ipsis dicamus.

### §. XI.

Quod igitur ad *signa* attinet, ex quibus diarrhoea dignoscitur, potiora & extantiora sunt sequentia. Praecedunt nimirum borborygmi, & motus tensiui, dolores lancinantes, & pungentes, praecipue circa umbilicum, interdum etiam cardialgici intercursant dolores, quos denique excipiunt sedes, quæ pro individuorum differentia plus minus copiose sunt. Adebat porro prostratio adpetitus, & quando excretio confueto largior ad aliquot dies continuat, magnum virium decrementum cum capitis debilitate insequitur, §. IX. & quo diutius protrahitur, eo magis omnia in peius ruunt.

### §. XII.

Nostræ quidem diarrhoeæ per se mali præfigii haud sunt. Sunt potius, ut CELSVS iudicat, *Libr. IV.*

*de Diarrhœis Abſtergentibus tam Simplicibus &c. 9*

*IV. Cap. XIX. pro valetudine.* Purgatur enim corpus, & quod intus laſerum erat, utiliter effunditur. Hinc salutare sunt naturæ beneficium, quamdiu nimis rum nec tempore, iusto diutius durantes, nec vehementia peccent. Caeatur modo, ne præmatura, & intempestiva suppressione præſocentur. Ceterum veriſſimum est, & ex antecedentibus patet, quod quævis diarrhœa confueto copioſior, & ſolito longior moram neceſtis, vires non ſolum proſternat, ſed & ægrum facile in febrem lentam, aut atrophiam coniicit, id quod infra caſu quodam peculiari compabitur.

*§. XIII.*

Nunc ad ſubiecta progrediendum, quæ diarrhœæ Simplici æque ac cruentæ facilius obnoxia ſunt. Simplicem ſi ſpectemus, ea nullis, cuiuscunque ſint ætatis, ſexus, & temperamenti, parcit, ita ut tenellulos infantes per ardua colla adhuc volutantes, & vbera matrum quærentes infenſer. Sola refrigeratio, ut infra ſub cauſis dicemus, eiusmodi diarrhoeas in quo-libet indiuiduo proritare potest. Quamquam vero omnes homines in eiusmodi euacuationes catotericas ſatis proclives ſint, cauſis aliis grauioribus & acti-vis concurrentibus, tamen id tenendum, quod vnuſ præ altero magis iisdem expositus obſeruetur. Sic ratione temperamenti phlegmaticum maxime diarrhœis simplicibus obnoxium eſt; ratione ætatis, infantes præ adultis, fæminæ præ viris. Cruentæ vero ſubiecta ſunt in primis adultiores, quæ hæmorrhoidibus

B

dibus

10 *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

dibus suppressis, aut nimiis, aut alia ratione anomalis, vel viscerum læsione, aut febre lenta laborant. Symbolam suam etiam conferunt variæ res in corpore nostro, præternaturales dictæ, vt vermes, concretiones intestinorum, obstruktiones mesenterii, aliorumque viscerum. Natura itaque corporis sui saluti consultura, vtitur diarrhœis ablergentibus, siue simplices sint, siue cruentæ, eum in finem, vt eiusmodi hostes ceruicibus suis depellat, & corpore proscriptat.

§. XIV.

Quod vero eiusmodi obstruktiones mesenterii, aliorumque viscerum, concretiones corpori inhærentes, qualiscunque diarrhœæ, imo mortis tandem causa sint, multis THEOPHILVS BONETVS in *Sepulcreto suo*, siue *Anatomia Practica* exemplis comprobatur. Audiamus inter alia exempla vnicum de infante vnius & dimidii anni: „Hic enim, inquit, „secretione per aluum superflua cum materiæ albæ „permixtione, & subsequenti macie insigni, diu & „per aliquot menses vexatus, ita ut omni diligentia „licet adhibita, æger ossibus vix hæreret, & animam „ob morbi vehementiam tandem efflaret. Parentes „cum nutricem certas ob causas mutassent, semper „suspiciati sunt, morbum infantis per fascinum esse „introductum. Ut igitur ancipiti cura parentes amplius non distraherentur, exstinctus filiolus aciei cultri anatomici subiiciebatur. Dissecto cadaueris ab „domine, ecce! monstrosa illico hepatis pro ætatis „ratio-

*de Diarrhoeis Abstergentibus tam simplicibus &c.* II

ratione apparuit magnitudo , quæ vix in adulto,,  
ostenditur. Totam enim abdominis cavitatem occu-,,  
pabat , & substantia eius præterea scirrhosa reperie-,,  
batur. Vesicula fellis erat insignis, indicis longitu-,,  
dinem æquans. Lienis similis vt hepatis erat con-,,  
stitutio.,,

§. XV.

Præter hæc subiecta generaliora aliud *specialius*  
adhuc datur *subiectum* , a veteribus *proximum* , seu  
*immediatum* , hodienum vero *pars affecta* vocari so-  
litum. Ad horum classem præ omnibus referendus  
est *totus intestinorum canalis* , aliaque nobiliora infi-  
mæ cavitatis viscera, nempe *hepar* , *mesenterium* , *pan-  
creas* , imo nonnunquam *tota massa sanguinea* . Hi-  
scæ etiam ab aliis ipse *ventriculus* accensetur. Læsa  
enim stomachica in ingesta actione, graues negotium  
concoctionis & digestionis patitur defectus. Hoc  
læso ingestæ diutius ibi hærent, & mora corrumpun-  
tur; verbo : largus insequitur vitiosorum humorum  
prouentus. Praesertim *duodenum* ob curvaturas, &  
& situm sinuosum , ob bilis & lymphæ pancreaticæ  
admixtionem huic vitiosorum humorum prouentui  
quam commodissimum est; hinc non potest non fie-  
ri, quin diarrhoeæ somitem præbeant , & aluum ad  
deiectionum frequentiam sollicitent.

§. XVI.

Duplici autem respectu huic referuntur *intestina*,  
nimirum ratione ipsius *structuræ* , & *substantiæ* , dein-  
de quatenus *viam excretioni* concedunt. Sicuti enim

B 2

inte-

intestina, vti ex Anatomicis constat, ex quatuor constant tunicis, membranosa scilicet, musculosa, nervea, & villosa: ita præsertim neruea reliquis sensibiliior, vellicatione, morsificatione adficitur, musculosa in consensum raptæ; hinc dolores illi spastici, tensiui & pungentes oriuntur, qui acutissimi doloris tormenta producunt. Quod deinde excretioni viam concedant, explicatione non indiget.

## §. XVII.

Cum Medico in *causarum* scrutinio curate versanti tam in cognoscendo morbi genio & explicanda symptomatum ratione, tam in medendo multum lucis adfundatur; hinc, denominatis subiectis, ad brevem illarum explicationem nunc deuolamur. Sunt autem *causæ* vel *materiales proxime*, vel etiam *occasionales*, sive *remotiores*. Causam materialem in nostris diarrœis constituit ordinarie materia quæcumque lenta, tenax, viscida, bilioſa, salina, acriſ, semi-cauſtica, aliaque peregrina, vel in primis viis, vel etiam aliunde in visceribus hærens. Quo nomine etiam comprehenduntur concretiones intestinorum, aliorumque viscerum, de quibus §. XIII. mentio facta est. Ad harum materiarum dilutionem, colligationem, abstercionem, natura fuscitat humorum ad loca periclitantia adfluxum, humoribus ibi congestis, motum peristalticum intendit, vt sub sedum frequentia, licet non sine variarum molestiarum comitatu, corpore exturbari possint.

## §. XVIII.

§. XVIII.

Inter *causas remotiores* merito connumerantur res sic dictæ non-naturales , quippe quarum improvidus , peruersus usus humores vitiosos in ventriculo , duodeno , & reliquo intestinorum volumine stagnantes vel auget , vel adhuc deteriores reddit , vel ad eorum genesis multum confert .

§. XIX.

Cum itque res non-naturales causas diarrhœarum nostrarum remotiores constituant , merito initium faciunt *alimenta* ex regno animali & vegetabili defumta . Huius census sunt omnia illa , qua mucilaginem quandam in se reconditam habent , pisces scilicet , cancri , conchæ , & huius indolis plura , quorum usus frequens , præsertim in sensibilioribus , delicatulis , simulque otio immeritis noxious est ; muci enim haud parum relinquunt , qui intestinorum plieis inhærens , cuiuscunque diarrhœæ causam præbere potest .

§. XX.

Non sine ratione , experientia insimul teste , adderitur , quod in delicatulis , & vitæ sedentariæ additionis eiusmodi alimentorum genera diarrhœas qualescunque producere possint . Sanis quidem omnia sana . Sani vero sunt , qui secundum tritum illud , bene ingerunt , bene digerunt , & bene egerunt , id est , qui ordinatum & legitimum omnium excretionum successum experiuntur . Hoc in delicatulis , & otiosis longe secus euenit . Cum enim ingnindæ ple-

14 *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

thoræ vita sedentaria nihil opportunius, plethoræ  
dein comes hæreat spissitudo humorum, spissitudo  
porro vitiosos humores ingeneret, & laudabiles vi-  
tiet, hinc fit, vt circulatio sanguinis tardior, segnior  
reddatur, hac tardiori facta, negotium se- & excre-  
tionum languet, digestio vacillat; quid mirum ita-  
que, si in eiusmodi subiectis huius censu alimenta  
muci haud paruum relinquant copiam, quæ postea  
naturam ad tales motus congestorio-euacuatorios in  
diarrhœis conspicuos sollicitat.

§. XXI.

Quod ad alia esculenta & potulenta attinet, qui-  
bus ad nutritionem, & conservationem corporis  
nostræ quotidianam utimur, eundem effectum exse-  
rere obseruantur. Horum numero accensentur cibi  
crudi, dyspepti, pingues, dulces, opera pistoria, præ-  
sertim calida multo butyro fixa, panes dulcarii, siue  
sic dictæ placentulæ mellitæ, &c. Ex fructibus in  
hunc catalogum inseruntur fructus horæi, cerasa dul-  
cia, pruna, vuæ; porro melones, cucumeres, mala  
persica, & armeniaca; merito etiam inter hos locum  
inuenit *nana*, siue *ananas*, fructuum regina, præser-  
tim ananas fructu conico, siue ouato minore, omni-  
bus aliis saporis lenocinio præstans, nectarisque &  
ambrosiæ delicias fundens, conf. LOCHNER. in *Com-  
mentat. de Ananaſa*. His adhuc accedunt fungi edu-  
les, tubera edulia. Si itaque his prædictis velcentes  
immodico vſu peccent, plethorici sint, otio difflu-  
ant, spissum in venis alant sanguinem, illorum ven-  
tricu-

triculi iam fordibus obseSSI, his adsumatis, potus fermentescibles superingerantur, facile fit, vt eiusmodi ingesta cum bile & fordibus in primis viis hospitantibus, confectionem subeant, acrimonia, & morsificatione laedant, & diarrhoeam suscitant. Exportulentis huc spectant potus in confectionem proni, v. g. mustum, cereuisiae nimis recentens, fæculenta, acescentes, & quæ sunt alia, quæ sub iamiam allegatis circumstantiis varias in diarrhoeas definentes turbas excitare solent.

§. XXII.

Tandem inter res non-naturales diarrhoeis extitit aeris & tempestatum constitutio valde opportuna est. Sicuti aer variis qualitatibus in sanitatis tutelam cedentibus praedita est: ita etiam saepe excessiva quædam qualitate peccans sanitatem multis manet incommodis. Has inter sunt v. g. aer frigidus, ac humido-frigidus. Hic diarrhoeam excitare solet præcipue in iis, qui nudis incedunt pedibus, aut qui matutinis sudoribus adsueti, sine aliquo interposito temporis interuallo calorem cum frigore commutant. Ratio in promptu est. Cum enim aer frigidus iis præsertim partibus, quæ parcius sanguine perluntur, vt pedibus, inimicus sit, inter pedes autem, & abdomen, imo vniuersum corpus consensu vigeat; cum porro aer frigidus peripheriam corporis constringat, difflationem materiae perspirabilis Sanctorianæ præpediat, sicque feroſi, acres humores ad intestina nimia copia congerantur, saepissime fit, vt diarrhoeæ insequantur.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Haud in præteritis relinquenda sunt *animi pathemata*, tanquam causa immaterialis. Satis notum est, quod vehementia & celeritate affectuum venena vel exæquent, vel superent. Quem Medicorum latet actio iræ in corpus humanum? Præsertim vim suam tyrannicam in vias biliferas exserit, ita ut deinde duodenum, ventriculus per peristalsin inueriam, & reliquus intestinorum tractus bile inundentur, maximo corporis malo; hinc enim cholera, diarrhœa biliosa, & aliae diarrhoearum species exoriuntur, quæ id indolis interdum sunt, ut oculatissimi Practici habent, in quo desudent; tacemus, quod ægrum, optimis licet expugnandi mali præsidiis adhibitis, in orci fauces præcipitent. Supra iamiam citatus BONETVS, libr. all. casum refert de diarrhœa in foemina quadam lethali ob bilem in vesicula fellis in lapideam substantiam concretam: „Dum enim, inquit, Monspelii studiis incumberem, me præsente, dissecata fuit mulier, cui diarrhœa per quatuordecim annos, molesta fuerat, ante obitum adeo vrgens, ut septem mensibus, priusquam occideretur, intra quartam vniuersitatem horæ partem, tricies desidere cogeretur.“ Vnde vero lapidea illa concretio in cytide contenta? Procul dubio causa reuoluenda in prægressam & suppressam iracundiam; ad quam concretionem colliquandam & abstergendam a natura eiusmodi diarrhœa suscepta fuit. Præterea hæc animi pathemata non solum in proprium cui inhærent, corpus crudeliter desequunt, sed & in alia corpora nocuos suos euibrant

brant effectus. Si v.g. matres, aut quæ mammis vicariis, & lacte emitio infantem alunt, iræ, rixis fræna laxant, iniurias mussitant, odia sorbent, & concoquunt, certe! harum peccata laetentes in corpore suo luunt. Inter alia enim sat grauia damna diarrhoeæ infantum torminosæ adparent.

§. XXIV.

Reliquarum adhuc rerum non-naturalium stationem hic subiungere possemus, ut *somni* & *vigiliarum*, *motus corporis voluntarii*, & *quietis*, *excretorum* denique & *retentorum*, in quantum ad diarrhoeas qualescumque inducendas, augendas, fouendas causam præbere possunt. Sed sufficientia hactenus prolatæ de causis, ad ultimum & palmarium, quod restat, momentum progressuri, quod est *methodus medendi*, qua rite ac legitime diarrhoeæ nostræ vtriusque generis tractandæ, & quoad fieri potest, curandæ sint.

§. XXV.

Medicum igitur rationalem simplicis æque ac cruentæ diarrhoeæ curationem adgressurum, *quatuor medendi indicationes* obseruare oportet, quarum

*Prima* est: materiae correctio, eam incidendo, colliquando, abstergendo.

*Secunda*: materiae prius præparatae euacuatio, ne augeatur, vel de nouo generetur.

*Tertia*: Motuum pertinaciorum, præter utilitatem & necessitatem continuantium prudens moderamen.

C

*Quar-*

*Quarta:* partium adfectorum tono suo deiectarum  
roboratio.

§. XXVI.

Quod ad primam indicationem attinet, nimirum peccantis materie correctionem, illam omnia alia praecedere oportet. Lex therapeutica nisi prima, tamen omni consideratione digna est, quod materia peccans non prius, quam excretioni apta sit, evacuetur. Diuus COVS iamiam hoc inculcauit; *corpora*, inquiens, *quicunque purgare voluerit, fluida facere oportet*, Sec. II. apl. 9. Id quod etiam in curandis nostris diarrhoeis obseruari meretur. Prius enim quam medens qualiscunque materiae peccantis excretionem moliatur, fluxilis & permeabilis ea reddenda est, quod optime fit per *falia media incidentia, digestua, resolutuaria, colliquantia*. Ad hanc classem pertinent cremor tartari, sal tartari, liquor terrae foliatæ tartari, tartarus vitriolatus, tartarus tartarisatus, sal ammoniacum depuratum, sal digestuum SYLVII. Quo etiam referuntur *falia fixa*, ut sal absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, &c. His adiungendæ sunt radices ari, gentianæ rubræ & enulæ. Ex gummi-refinis bene commodant gummi ammoniacum, galbanum, sagapenum. Si materia nimis tenax & viscida, ita ut fui excretionem renuat, tunc præcipitan-  
tium usus, ut matris perlarum, concharum præparatarum, oculorum cancerorum præparatorum, crystalli montanæ præparatæ commodus est, quorum ope illa in pulposam, magis tractabilem, & excretioni obse-

obsequiosam massam conuertitur. Hæc vltima etiam in diarrhoeis infantum & puerarum choleroideis in vsu vocari solent.

§. XXVII.

Ad secundam nunc accedimus *indicationem*. Ipsa dux fida medentium, natura, hanc medendi viam præmonstrat. Sic enim materias, in primis viis, vel in aliis visceribus hærentes, turbis motuum ciendis, & crazi humorum vitianæ habiles, vel quacunque alia ratione infestas, prouidentissimo confilio, & magno corporis bono, sponte sua corrigit, alterat, diuerticulis suis exturbat, mouet, emouet. Quare Medicus officio suo functurus ducem naturam, ceu illius minister, sequatur, huicque viae prudenter insistat, naturæ subsidiariam porrigendo manum, eiusque negotiūm facilitando, vt fine suo potiatur.

§. XXVIII.

Neutiquam vero huic fini obtinendo commendantur *fortiora stimulantia*, & *actiuoris indolis purgantia*. Hoc nihil aliud est, quam oleum camino addere velle. Sicuti vero in omnibus fere morbis *leniora*, & *clementioris indolis laxantia* inter securiora iure reputantur: ita etiam in his diarrhoeis huius censu remedia, securitate & vtilitate omnibus aliis præferenda sunt. Cui consequenter fini optime respondent pilulae balsamicæ, vt BECHERI, STAHLII, HOFFMANNI, IVNCKERI. Nec spernendus est vsus rhabarbari. Sociam insuper, nec minus

laudabilem operam præstant clysteres abstergentes,  
quibus optime varii generis sordes eliuuntur.

§. XXIX.

Deuenimus ad tertiam indicationem, quæ motuum moderamen pro obiecto habet. Motus vel vehementia nimii, vel mora iusto longiores interdum obseruantur. Eadem peccat principium vitale in nostris diarrhœis. Nunc vero eiusmodi motuum sauitia, & longior mora vires depascuntur. Hinc Medicus prudentis est, eo respicere, ut hi motus non vna vice & impetu, & intempestive præfocentur, sed sub prudenti moderamine leniantur, demulcentur, consoliantur. Huic scopo satisfaciunt *præparata ex aromaticis, & stomachico-neruinis*, v. g. zingibere, zedoaria, galanga, calamo aromatico, copto vero, cinnamomo. Porro *præparata ex cydoniis*, ut diacydoniatum aromatisatum. Vñi etiam esse possunt gemmata, lapides quinque pretiosi, species de hyacintho, coralliana. Ex *compositis* adhuc opem spondent syr. de agresta, syr. myrtillorum, species diamoschi, in senibus diascordium FRACASTORII. His omnibus palman fere disputat cortex cascarillæ in forma pulueris propinata. Cum enim præter virtutem resoluentem, & discutientem, principium terreum leniter adstringens custodiat, desideratissimas omnino, experientia simul teste, suppetias ferre solet. B. nostros HOFFMANNVS multis aliis his in casibus anteferre solet liquorem anodynnum mineralem, vel cum oleo macis, vel tintura castorei, vel cum refracta balfa-

balsami vitæ parte remixtum, si ter, quater de die ad guttulas XX. porrigatur. Tantem subiungenda *lenia anodyna*, præsertim euacuantibus decenter maritata, cuius census sunt pilulæ de flyrace, de cynoglossa, WILDEGANSII, STARKEYANAE; porro theriaca cœlestis, aqua theriacalis, laudanum liquidum SYDENHAMII, essentia opii LANGELOTTI cum succo cydoniorum per fermentationem parata, & id generis plura. Ad *topicorum* in diarrhoeis vsum quod attinet, iis quidem facile supersedere possemus; interim tamen non penitus laude sua sunt defraudanda. Ne itaque aliquid prætermisſe videamur, præmissis rite internis, in vsum cedere possunt vel *balsama*, vt balsamum embryonum, balsamum vitæ, linteis duplicatis adhibitum; vel *linimenta* ex oleis neruinis, vt absinthii, nucifæ, menthæ, balsamo peruviauo parata; vel *emplastrum* de crusta panis, emplastrum stomachale CRATONIS cum emplastro de tacamahaca commixtum, additis oleis de-illatis neruinis; nec non sacculi discutientes & pargorici.

§. XXX.

*Quarta & ultima* adhuc restat *indicatio, partium* nimirum *adfeßarum* tono suo exutarum *roboratio*. Id indolis sunt morbi, vt omnium partium atoniam post se relinquant. Et cum in diarrhoeis proxime primæ viæ, & intestina præternaturaliter adficiantur, hinc non potest non fieri, vt ob motum peristalticum maxime auctum, ob deiectionum frequentiam, vanis

C 3 de-fi

22 *Dissertatio inauguralis Medico-Practica*

desidendi conatibus intercursantibus, atoniam postea patientur. Huic itaque atoniæ tollendæ, & motui intestinorum tonico restituendo præter iamiam §o. antecedente commendata egregie inferuiunt *martialia*, ut sunt tinctura martis aperitiua LVDOVICI cum essentia ligni aloes, vel spiritu salis dulci remixta ; tinctura tonico-neruina STAHLII ; elixirium viscerale HOFFMANNI, tinctura aurantiorum, essentia cinnamomi, essentia corticum aurantiorum cum essentia gentianæ rubræ & succini permixta. Taceo alia *martialia*, quæ in officinis nostratis prostant.

§. XXXI.

Sicuti in omnibus morbis, ita etiam in diarrhoeis debitum *regimen* probe obseruandum est, quippe cuius neglectus vel optimis abigendi morbi præsidii efficaciam suffurari solet. Valde utile est curandis diarrhoeis conclave temperate calidum, vt materiæ perspirabilis Sanctorianæ difflatio æqualis semper, non sine singulari morbi alleuamento, seruetur. Cauet fibi æger a frigore, præsertim, quod ob tenuioris sortis rationem interdum fieri adsolet, sub alii depositione; non minus a pedum refrigeratione, ob rationes supra allegatas; quare consultum est, lateres calefactos, vel lagenam aqua calida repletam pedibus admouere.

§. XXXII.

Et certe! *dietæ* diarrhoea adfectorum congruae utilitas æque ac necessitas non exigua est. Cum enim hi morbi primario primas vias & reliquum intestinorum

norum canalem adficiant, & ingesta immediatum habent cum illis contactum, hinc male sibi vident ægri, diætam diarrhoeis congruam insuper habendo. Vi-  
etius in genere sit ἐντομαχος. Vescantur cibis non nisi mollicellis. Quod ad potum attinet, eiusmodi ægris non quidem omnibus bonaæ notæ cereuifis interdicimus; interim tamen præstant iuscula sorpta, ex carniibus vitulina, gallinacea, radicibus cichorii, scorzo-  
neræ parata; aut hordeum excorticatum cum iure pulli coctum; aut decoctum panis, gelatina panis, pa-  
natella, vid. BOERHAAVE in *Aphorism.* aut serum lactis; vel infusa theiformia. Sub finem morbi la-  
befacta intestina poculum vini bonaæ notæ solatur.

§. XXXIII.

Non leuis argumenti tractatio adhuc restat, *cura* nimirum *præseruatoria*, quæ Græcis προφυλαξις audit. Quemadmodum vero multum præsidii ad vitæ & sanitatis tutelam in congruo rerum non-naturalium vsu repositum est: ita nil ingignendis morborum suppli-  
ciis aptius, quam peruersis illarum vsus. Et sic etiam totum negotium sese a diarrhoeis nostris præser-  
uandi, congruo, & individualibus respectibus respon-  
dente harum rerum non-naturalium vsu, omnium calculo absoluitur.

§. XXXIV.

Primo loco itaque aeris mentio fiat. Variæ omnino illius qualitates sunt, quæ sanitatis impatiens esse obseruantur. Inter has tamen, quæ diarrhoeis nostris ingenerandis fauent, maxime eminent aer fri-  
gidus,

gidus, & frigido-humidus ; non minus subitanæ aeris mutationes , v. g. aeris calidi in intense frigidum. Frigidus itaque porulorum oscella arctat, occludit, exituræ per cutim materiae perspirabilis excretionem præpedit, exitu præclusa intus restitans reueluitur ad interiores partes , præsertim ad ventriculum, & intestina. Idem accedit, si æstate præcipite, & nouo autumno, Augusto & Septembri mensibus, laboriosi, non exclusis, pro rerum circumstantiis, aliis, per diem operi faciendo intenti, Syrio adhuc vrente, sudore diffluent, noctu autem frigus mordeat, quod itidem humores ab ambitu corporis ad interiora vrget, eodem effectu. Aer frigido - humidus fibras & tonum relaxat, his relaxatis imminuitur in fluida actio, hac imminuta minor humili difflatio, eiusque in corpore accumulatio. Cum itaque hac ratione excerni solita remaneant, sèpissime fit, vt inter alia, diarrhœæ insequi soleant. Nuncque, me fere non monente, ratio auertendarum diarrhœarum patet, quæ huc redit, vt corpus ab aeris inclemotoris iniuriis, illiusue vicissitudinibus, & ventorum frigidorum adflatu immune seruetur ; sique corpus per diem, labore, motu, solibus incaluerit, eo respiciendum , vt sub frigore nocturno stragulis bene muniatur.

### §. XXXV.

Deinde a diarrhœis nostris sese præseruaturi excretorum etiam rationem habeant. Quæ inter primario sunt *cuticularis excretio, aliisque officium*. Observatis si præcedentis momentis iidem studeant, vt transpi-

transpirationis successum semper conseruent, præser-tim sub somno. Constat enim, secundum SANCTO-RIVM, aliosue, quod duplo maior sub somno sit transpiratio, quam vigilanti eodem tempore; hinc catho-lico hoc emunctorio multa corpori subtrahuntur, quæ intus conclusa inter alia somitem diarrhœis præbere possunt. Non minus current, vt aliis semper sit li-bera & aperta. Aluo enim feruntur non tantum fæ-ces crassiores, sed & multæ particulæ Serosæ, muci-dæ, salino-sulphureo-biliosæ, quæ intus retentæ, vti aliis morbis, sic etiam diarrhœis fuscitandis ansam præbere solent.

§. XXXVI.

Sub præseruationis præceptis porro commemo-randa, quæ circumspetum *alimentorum* usum, siue sint *esculentæ*, siue *potulenta*, concernunt. Supra §§. XX. & XXI. catalogum eorum, quæ diarrhœis ex-citandis valent, recensuimus. Et sic certum est, quod a diarrhoeis se se præseruaturis vel plenaria recensito-rum abstinentia imperanda, vel, si subiecta sint sen-sibiliora, quæ facilius ab eiusmodi externis adficiuntur, continentia, & moderatus usus suadendus sit. Si cui, obseruatis diæticis præceptis, sit animus, me-dicamentis interpositis se a diarrhœis præmuniendi, ille unam vel alteram dosin pilularum balsamicarum, vel alia blande laxantia, subiunctis stomachicis, com-mode in usum vocare potest.

§. XXXVII.

Non infimum locum inter auertendarum diar-rhearum

D

rhearum

26 *Differentatio inauguralis Medico-Practica*

rhœarum præsidia sibi *adfectum regimen vindicat.*  
Ab ira præsertim sese a diarrœis præseruaturi sibi  
temperent, vid. *supra fib caus. §. XXIII.* Nec non a  
tristitia, præsertim diuturniori. Satis notum est,  
quod tristitia robur solidorum limet, sufflaminet, quo  
sufflaminato, missis aliis effectibus, excretionum ne-  
gotium languet, hoc languente partibus excremen-  
titiis massâ humorum confpurcatur, quibus euerren-  
dis natura, salutari, si cetera manent paria, consilio,  
tales alui fluxus suscitare fœpissime solet.

§. XXXVIII.

Inter hæc præsidia adiuv mentionem facimus  
*motus corporis voluntarii*, in quantum nimirum præ-  
seruandis diarrœis nostris inferuire potest. Motus  
sufficiens, & secundum leges medicinæ requisitis suis  
gaudens, vniuersale naturæ instrumentum est, cuius  
marte omnia, quæ vitam & sanitatem continent, ex-  
sequitur. Cum itaque motus inter alios innumeros  
effectus in vitam & sanitatem collimantes, corpus  
onere particularum superfluarum, excrementitiae-  
rum, serofarum, &c. leuet, hinc natura supersedere  
potest illo labore, eiusmodi particulas diarrhoearum  
ope euacandi. Cum præterea motus excretionem,  
quæ fit per cribrum cutaneum, promoueat, hæc ve-  
ro secundum S A N C T O R I I aliorumque Medicorum  
calculum, omnia alia emunctoria mole supereret,  
hinc facile liquet, quantum præsidii ad auertendas  
diarrœas in sufficienti corporis motu positum sit.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sed admonet supra *promissi Casus fides*. Est ille satis notabilis Viri cdiusdam diarrhoea abstergente, cruenta laborantis, cuius occasione hanc de diarrhoeis abstergentibus, tam simplicibus quam cruentis trationem scribere pro viribus annis tui.

CASVS.



*V*ir quidam eruditus, per temperamenti agilis officii scholastici rationem strenue quidem sedendo litteris incumbens, corporis tamen motum per horulam quotidie exercens, trimestrem præterea venæctionem administrandam numquam prætermittens: optima valetudine ad annum usque septuagimum fruebatur. Quam vero ob coningis obitum in igni moerore asficeretur, animique abiectio tanta esset, ut sanitatis rationem amplius haberet fere nullam, Et præcipue quotidianum corporis exercitium, hactenus consuetum, prorsus omitteret: haud multo post varios motus morbosos experiebatur, videlicet molimina hemorrhoidalia, colicis spasmis haud mediocriter adfligentia, quibus nonnullæ quidem saceri sanguinis guttule interdum exprimebantur, plerunque autem materia tantum mucida Et serosa, crux re pallulum remixta excrenebatur. Quæ spuria hemorrhoidum scena progrediente tempore adeo frequenter ludebatur, ut singulis diebus octo, decem, duodecim, Et plures sedes sequerentur, talesque excretiones ultra annum

pertinacissime durarent. Cui quidem motuum excernentium anomalia multa remedia opponebantur, scilicet blande abstergentia, temperantia, moderantia, & diapeona, adsueta etiam vena sectiones circa aquinoctia & solstitia administrabantur. Quum vero per ista omnia nihil constantis obtineretur, non sine ratione ominabantur Medici, lesionem forte aliquam in viscere quodam abdominali hærere, eique abstergende diarrhoeas illas frequentes destinatas esse. Interea anno atatis septuagesimo secundo adpropinquabat & aquinoctium vernale, quo adsueta venae sectione iterum celebranda erat; qua autem in re Medici, quid faciendum, quid omittendum foret, aliquamdiu dubii hærebat, omnino perpendentes & consuetudinis efficaciam, & faciem agrotantis fere Hippocraticam, præterea minime dissimulantes, quod vero simillimum sit, motus haclenus excedentes, imminentia aquinoctio, excepturos esse contrarios abiectiones; quare sinistra utrimque iudicia præuidebant & prædicebant. Post multas autem deliberationes tandem satius esse videbatur, consuetudini indulgere, quam quidem eidem resistere. Verum enim vero eodem die, quo vena secabatur, accidebat id, quod iterum iterumque prædictum fuerat, nempe motuum abiectionis, hemiplexiam in sinistro latere manifestans. Nihil tamen minus diarrhoeæ copiosæ ad ultimum vite terminum, qui quarto ab hemiplexia mense fuit, perdurabant. Secto cadavere insignis & uniuersalis fere viscerum concretio deprehendebatur, que tanta erat, ut non nisi violentia quadam ab innicem separari potuerit. Præterea duo concrementa sebacea in abdomen offendebantur: unum quidem nucis inglandis magnitudinem referens,

mesen-

*de Diarrhoeis Abstergentibus tam simplicibus &c.* 29

mesenterio per petiolum adfixum, vasisque nutrientibus praeditum, & membrana inuolutum erat; alterum autem ouo gallinacei magnitudine, duplicaturæ omenti inclusum, inter ventriculum atque intestinum colon situm habebat, auulsum vero, & nullo petiolo nullaque membrana amplius praeditum. Ex quibus phænomenis haud obscure conicere licebat, diarrhoeas istas perennes & adhesionis illius auulsionem & membranaceæ inuolutionis evolutiō nem effecisse.

§. XL.

Et sic calatum pono, triuni Archiatro pro benignissime donatis viribus gratias agens humilimis, eumque comprecatus, vt has pagellas in ipsius honorem & ægrotantium leuamen clementissime cedere sinat.

T A N T V M  
S. D. G.

D 3

Dich

**I**ch hab' ich längst gekant, Dich hab' ich längst  
geliebet,  
Dies ist, Geschätzter Freund, was heute  
mich belebt,  
Und meiner Freundschafts-Pflicht verstärkte Re-  
gung giebet,  
Da Dich Dein reger Fleiß zur Doctor-Würd' erhebt.  
Ich will, (o Musen, steht jetzt meinem Vorsatz bey!)  
Nach Wahrheit und Verdienst, die reinste Regung  
schildern:  
Doch da ihr Beystand fehlt, so fehlt auch meinen  
Bildern  
Geist, Ordnung und Gestalt, die Kraft der Dichterey.  
Freund! nim den Willen an, die Kräfte sind zu  
schwach,  
Durch Zeigen meiner Pflicht Dein Lob jetzt zu ver-  
mehren  
Doch da die Musen selbst heut Deinen Werth beeihren,  
So giebt mein Kiel auch gern empfundner Regung nach.  
Die Triebe, welche sich in stiller Brust ergieissen,  
Sind stärker, als daß sie mein Schweigen ganz be-  
schränkt,  
Ich fühle sie: Jedoch wohin Dein Werth sie lenkt,  
Will ich, Geehrster Freund, in diesem Wunsche  
schließen:  
Genieße

Genießt stets beglückt der wohlverdienten Ehre!  
Heut reicht Hygeens Hand sie Dir zum Eigenthum.  
Das Glück begleite stets die Einsicht Deiner Lehre!  
So wächst der Kranken Wohl mit Deinem eignen  
Ruhm.

Joh. Christ. Teubeler.

D. A. R. B.  
aus Riga in Livland.

---

Euge! Tua quantum laetor, Doctissime GRISCHOW,  
Sorte bonaque ampla fertilitate spei.  
Publicus applausus, praeconia votaque amica  
Optima virtutis sunt documenta tuae.  
Auspiciis faustis vadas, curasque secundet  
Omnia qui curat! perge favere, vale!

Haec gratulabundus adiicere vos  
luit, debuitque

I. G. TRALLES

Hirschberga - Siles. Med. Cult.

---

Freund! Deines Fleisses Frucht lehrt mich Dein  
Wissen schätzen;  
Sie weiß der Freundschaft Werth in höhern Glanz  
zu sezen

Und

Und erönt sie heute so wie Dein beglückt Bemühn,  
Ob unser Glück gleich nie des Steigens fähig schien.  
Längst hob Dein seltner Geist Dich aus des Pöbels-  
Sphäre:

Heut zollt die Heilungs-Kunst Dir die verdiente Ehre,  
Und macht mich doppelt froh. Ein Feind vom Posidon,  
Der seinen Körper fühlt, ehrt des Galenus Sohn;  
So glaube denn, Dein Freund erfleht zu seinem Glücke  
Von jener Vorsicht Huld Dir ein geneigt Geschick.

Mit diesen wohlgemeinten Zeilen  
empfielet sich

C. G. Nößler  
Der Gottesgelaßtheit Besiegessener.



Ua 4713

ULB Halle  
003 901 068



3

8v





20

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO - PRACTICA  
DE  
**DIARRHOEIS  
ABSTERGENTIBVS  
TAM SIMPLICIBVS QVAM  
CRVENTIS.**

QVAM  
ANNVENTE SVMMO NVMINE,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMO ORDINE MEDICO  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO DOCTISSIMO QVE  
**DN. IOANNE IVNCKERO,**  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMOVE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO, PATRONO AC PRAECEPTORE  
SVO PIE DEVENERANDO  
H. T. FACVLTATIS MEDICAE DECANO SPECTATISSIMO  
PRO GRADV DOCTORIS,  
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
RITE OBTINENDIS  
AD DIEM APRILIS MDCCXLVIII.  
H. L. Q. C.  
ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**IOANNES AVGVSTVS GRISCHOIVS**  
HALENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. TYPOGR.